



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Articvlvs XI. Contra VII. & X. Decalogi Praeceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

ARTICVLVS XI.

*Continens laxitates à Neotericis
contra septimum & decimum Decalogi
Præceptum adinventas.*

I. **Q**uemadmodum supra Præceptum sextum & nonum ob connaturalem connexionem, quam concupiscentia inordinata uxoris alienæ cum adulterio habet, cum posteriorius prius necessario præsupponat, licet non e converso : ita ob eandem causam in præsentem furtum (sive peccata caudata obligationem restitutionis quasi caudam post se trahentia) cuius nomine teste *S. Augustino* bene intelligitur omnis injusta usurpatio rei alienæ ; neque enim rapinam permittit, qui furtum prohibuit septimo & concupiscentiam rei alienæ decimo præcepto vetitam : sub eodem titulo connectimus. Vetatur autem his præceptis tanquam omnis furti, appetentiaque rei alienæ, & omnium malorum radix cupiditas, & avaritia, quæ vel res aliena injuste

na injustè concupiscitur, vel debita denegatur; vel ab illo invito tollitur, quidquid enim quis plus habet, quam suum est, illius est fur tollens æqualitatem rei ad rem, quam iustitia requirit; quæ omnia pulcherrime explicat *S. Petrus Damian. l. 2. Epist. 2* alludens ad verba sapientis, *Avaro nihil est scelestius, & nihil iniquius, quam amare pecuniam. Dura ait, & nimis formidolosa sententia; si enim avaro nihil est scelestius, nõ ergo melior est paricidis, non præfertur incestis, æquatur Hæreticis, assimilatur Idololatriis, unde & Apostolus dicit Avaritia, quæ est Idolorum servitus. Sit ergo quilibet castus, sit sobrius, sit indigentibus alendis intentus, sit hospitalitati deditus, jejundet, vigilet, diem nocti psallendo continuet: si tamen avarus est, totum perdit, ita, ut inter omnium criminum reos nequiores se invenire non possint. Quid ergo proderit non occidere, non mœchari, non rapere, non perjurare, immunemq; te prorsus à cunctis criminibus custodire: dummodo si à te avaritia non expellitur, nihil te nequius, nihil scelestius reperitur? Eat ergo avarus, parietes Ecclesiæ construat, studio prædicationis insistat, dissipantes in pace*

confæ-

confederet &c. donec tamen in eo ardor avaritiae non extinguitur, omnis flos virtutum ejus exuritur, & nullus eo criminosior invenitur. Igitur avarum esse, nihil aliud est, quam amare pecuniam. Amat enim pecunia acquisita, amatur nihilominus acquirenda, avaritia quippe, quasi biceps est coluber, utroque consuevit ore mordere, utroque pestiferum virus influere: dum aut aliena res queritur, aut habitata delectabiliter possidetur &c.

2. Cui accedat Asterius Amaseensis Antistes homilia contra avaritiam quasi sub compendio proponens & avaritiae adscribens, omnes hoc articulo adducendas laxitates contra bina allegata praecepta adinventas. Tui isti sunt fructus exclamat: O scelerata avaritia. Tuus stimulis provocatus filius parenti efficitur hostis. Terram replet latronibus ac sicariis, mare pyratis, urbesturbis, atque tumultibus, forum, ac tribunalia falsis testibus calumniatoribus, proditoribus, advocatis ac iudicibus eo propendentibus, quo tu petra exeris, avaritia mater est inaequalitatis immisericors, inhumana, summè crudelis. Et Chrysostomus hom. 18. ad Ephes. Dæmone gravior est pecunia-

suniarum cupiditas cui multi magis obediunt, quam idololatra idolis: illi enim in multis non parent, hi verò in omnibus: huic obtemperant & quaecunque suggesserint, obsequuntur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi te ipsum offer. Dicto citius parent, & idolis quidem boves sacrificantur, at verò avaritia animas sibi sacrificari suadet & persuadet. Ecce quas habet aras, quæ libamina accipiat.

His nihilominus non obstantibus eandem tanquam radicem concupiscentiæ & incitamentum furti suadent laxistæ, inter quos primum locum obtinent, qui sentiunt.

PROPOSITIO I.

Probabile est jure civili omnia bona subditorum esse Regum.

3. **Q**Uæ propositio eo tendit, ut ex omnibus Regibus meros Achabos, vineæ Naboth, & omnium Honorum ad subditos pertinentium non solum appetitores, sed & rapto-

raptores faciat. *Achab vineam, Naboth appetijt, & justo pretio solvere voluit, & nihilominus, quia ab invito id voluit, audire debuit: Occidisti in super & possedisti.* Quod si vera est allata assertio, certe injuria illi à Deo facta est, cum ipsi tanquam Regi vineæ Dominium de jure competeret: Veram autem, & vere probabilem esse ex multitudine Doctorum pro eâ sentientium demonstrari posset: *Cavallos in suis practicis questionibus communium contra communes. q. 577.* format hanc questionem: *An Princeps de plenitudine potestatis, absq. causâ possit alteri auferre Dominium.* Et respondet primo affirmatue adducens novem sat celebres authores *Angelum, Joannem Andream, Hostiensem, Baldum &c.* Quibus si addas illos, quos questione sequenti adjungit facile numerum vigesimum & trigesimalium excedent: quo plus ad sententiam probabilem, an requiri possit, non video.

4. Distinguunt autem Canonistæ duplicem in Principe potestatem. Ex quibus alia *ordinaria* est secundum leges, & Canones, & de illa ait *P. Antonius de Petra. cap. 24. n. 32.*

Quod

Quod sicut Princeps supremam habet potestatem, ita eam regulare debet secundum summam honestatem, & si secus, faciat: utiq; potestas talis non absoluta, sed dissoluta, & plenitudo tempestatis non potestatis dicitur: ac juxta hanc docet Menoch. conf. 265. n. 33. & 35. Principem rem tertij auferre non posse, quamdiu aliâ viâ reipublica subveniri potest. Alia est absoluta, & de hac ait Rebuffus in praxi benefic. Reg. de non toll. jus q. gl. 6. num 34. & 35. Quod Princeps de potestate absoluta jus tertij tollere potest, etiam sine causa, etiam si agatur de gravi præjudicio. Sed ista potestas absoluta est potestas, que vere diabolica dicitur: procedit enim à potestate injuriosa, & est contra legem divinam, de quâ superius dixi de Naboth: s; q; contra legem naturalem, civilem & canonicam, ideò, qui illâ utuntur infrenata dominatione, nec non consultores illorum, qui hæc suggerunt, & actus eorum diabolici sunt? quos nisi resipuerint, possidebit infernus, ubi erit fletus & stridor dentium. Intelligere hæc, qui consultis Principibus, & vobis in futurum plurima horrenda preparatis.

5. Posse

5. Posse nihilominus Principem in casu
 extremæ necessitatis ob solam utilitatem pu-
 blicam disponere de bonis subditorum, cõ-
 munitis est sententia; cum enim Princeps pro
 defensionè patriæ debeat sollicitus esse, si non
 habet de suo, potest subditos collectare *Al-*
bericus in l. de quibus vers. idem quæro ff. de le-
gibus l. si quis in hoc genus. Maxime, quia
 Princeps militat pro communi utilitate, a-
 deoque debet etiam de communibus vive-
 re pro honesto statu Principum conservan-
 do, cum redditus proprii non sufficiunt, nec
 exactiones consuetæ. Sed id intelligendum
 est, quando Princeps non habet de proprio
 marisupio, unde succurrat bono publico: im-
 de mortaliter peccare Principem sine justa
 causa novum vectigal imponentem, tradit
Afflictus in rub. quæ sunt Regalia col. pen. n. n.
 licet in eo præsumatur justa causa, cum sit
 communis Pater omnium, qui subditis, ve-
 lut Pater filiis debet Thesauros præparare,
 & in cunctis necessitatibus vicem Pastoris
 gerere: quia secundum *Aristotelem* simili
 est operatio Regis ad subditos, Patris ad Filios
 Pastoris ad oves: paterno enim amore, & pater-
 nitate

bat regere Populum, ut in Clem. conquerente
de restit. spoliat. boni enim Pastoris est tondere
pecus, non autem deglubere, id est pilos & la-
nam evellere.

6. At quia facillime sibi Principes exem-
plo Achab. causas aliena bona appetendi fin-
gunt, & necessitatem imaginantur, ubi scèpè
non est hinc *Abulensis in cap. 8. lib. 1. Reg. 9. 19.*
sicut etiam *Nicolaus de Lyra* censet opinio-
nem allatam periculofam animabus, quia
præstat Principibus incentivum rapinæ &
Tyrannidis: ideoque monet Confessores &
Prædicatores Evangelicos, ut fugiant ab eâ
tanquam à Peste: nam ambitio & vorago cu-
piditatis Principum hodie tanta est; ut om-
nes fingant necessitatem, nec avaritiam suam
totius orbis terrarum dominio fatiare pos-
sint. Et ob hoc inter se bella gerunt, propri-
is terminis non contenti, & mille necessi-
tatibus justo Dei judicio undique circum-
dantur. Ad quod etiam alludere videtur, *S.*
Ambrosius lib. de Nabuthe: cap. 1. Nabuthe hi-
storia inquit tempore vetus est usu quoti-
diana: Quis enim divitum non quotidie con-
cupiscit aliena? Quis opulentissimorum non
Y
extur-

exturbare contendit agello suo pauperem atq;
 inopem a viti juris eliminare finibus? quis con-
 tentus est suo? cuius non inflamat animum
 divitis vicini possessio Non enim unus Achab
 natus est sed quod pejus est, quotidie Achab
 nascitur, & nunquam huic seculo moritur, si
 unus occidat, assurgunt plurimi: plures, qui ra-
 piant, quam qui amittant: Nam unus Nabu-
 the pauper occisus est, quotidie Nabuthe ster-
 nitur, quotidie pauper occiditur.

Quemadmodum Principi grassandi in
 bona subditorum ostium assertione præce-
 denti aperuerunt laxistæ, ita & iudicibus
 Principum vicariis occasione iudiciorum
 grassandi in bona & emungendi crumenas
 subditorum viam sternunt, dum docent,

PROPOSITIO II.

*Dum ex utraque parte sunt rationes æque
 probabiles, iudex, cui mavult partem
 rem adjudicare potest.*

Propo-

PROPOSITIO III.

Dum causa partis unius probabilior causa alterius: iudex parti minus probabili causam adjudicare potest.

7. **I**Nter gravissimos moderni temporis abusus merito computari posse, inordinatum iudiciorum modum, multitudinem legum, & in eas commentatorum, testantur multitudo litium, & lamentationes litigantium, quemadmodum ait *Arcesilaus* apud *Sto-beum* serm. 41. ubi *pharmaca* multa, multiq³ *medici* sunt, ibidem & *morbi* abundant: sic enim, ubi plurimae leges fuerint, ibi & *injustitia* viget maximè. cui assentiens *Vernuleus* lib. lib. 3. *instit. polit. tit. 2. §. 4. legum* ait multitudo mali reipublicae status indicium est. Non igitur probanda. Et utinam pro tot indigestis legum voluminibus unum esset breve ac perspicuum juris compendium, illa legum multitudo litium est seminarium, in quas multo plus quaeris reipublica impendit, quam in bellum, adeo leges quae finiendis inventae sunt litibus, lites

Y 2

quotidie

quotidie generant, dum quæ bona sunt, ad injuriam à pravis ingeniis detorquentur. Et Lipsius lib. 2. exempl. polit. c. 10. Europam ait videri & mentior, nisi maxima ejus pars circa lites occupatur. Alij judicant, alij instruum, alij agunt, & qui miserrimi sunt, eas habent. Bone Lothari manes tui per me quiescant, sed rosa, aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui rotas & spinas nobis sevisisti: Nam quæ tam clara causa est, quæ non aliqua lege, imò & interpretatione obscuretur? quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est causidicina, & perite captare, aut capere laudem habet.

8. De ratione legis esse claritatem fateatur tam civile, quam jus canonicum. Unde Justinian. Nov. 197. cap. 1. quidem ait sic proprium est legum, sicut claritas? Erit autem inquit Jus Canonicum Dist. 4. lex honesta, justa, possibilis & c. manifesta quoque, ne aliqua per obscuritatem in captionem contineat: Nuncquam enim ait Plato lib. 5. de legibus fuerint concordēs, aut inter amantes cives, ubi mutuo multa lites judiciales sunt: sed ubi ea brevissima & paucissima. Certe nihil famelicis & avariss-

avarissimis procuratoribus, causidicis, advocatis, imò & iudicibus gratius accidere potest ejusmodi perplexarum legum emanatione. Vnde singulariter mihi notus Præ-nobilis cujusdam Cancellariæ Præsidentis & Summus Justitiæ Promotor: dum inquit Cancellariam ingredior, & tot ante eam Procuratores stantes intueor, videre mihi videor vultures, & corvos cadaveribus devorandis inhiantes: neque enim partes iuste etiam litigantes, & iusta prætendentes sine suo gravi damno intentum suum assequuntur, ita ab Advocatis & Procuratoribus circumducuntur.

9. Est v. g. qui ab alio quadraginta aut quinquaginta Imperiales, quos ex amicitia mutuo dedit, lite (eo quod alio modo eos recuperare nequeat) prætendit: primum illi subarrhandus Advocatus, & Procurator, ille ducato, hic Imperiali: petitur citatio, quæ ad quatuor vel quinque milliaria insinuanda: insinuatur, sed ad primam citationem non comparet citatus, alteram præjudicialem expectat: quæ iterato insinuanda, comparet tandem reus cautionem petens, illam actor,

Y 3

utpote

utpote alieni territorij nec in loco judicij bona, vel amicos habens, præstare nequit: offert juratoriam, contra quam excipit reus adductis Authoribus pro se sentientibus: interea tempus currit, & annus integer elabitur, antequam veniatur ad rem: & actor non solum non accipit, quod juste postulat, sed novos quotidie nummos exponere cogitur, pro mandatis, citationibus, copiâ prothocolli, conceptibus Advocati, recessibus procuratoris: in tantum ut sumptus brevi medietatem, vel integram, quæ petitur summa adæquent. Tandem vel tædio prolongationis & sumptuum deserit litem, vel negotium componitur cum exiguo vel nullo partium, majori Advocatorum, procuratorum, aliorumque judicio interessentium emolumento. Quod si actor post litem examinet statum suum, videbit se plus detrimenti, quam emolumenti, si tamen reportasse ex lite.

Id quod pulcherrime demonstrat à *Cassio Clockio lib. 2. de ærario cap. 124.* citatus *Barclaius*: sepe ait itur ad iudices causa narratur aliquot anni abeunt necdum contestatio litis audita est. *Judicibus hic non vacat: hic omi-*
to quod

to quod litem facit, negotio haerent Patroni in causis minoribus, quae nunc sponte, nunc eorum studio nascuntur à prima sic dubia ex dubiis feruntur: sic immuni dilatione pereunt litigantibus magnâ in insontes inopesq; injuriâ. Ne quere cur tamdiu iudicibus placeat & patronis ad se delatos cruciari: nempe ex mora & tempore sua opera estimatur. Sic patronis inquam crescit, sic iudicibus sua merces. Multa scripsisse, multa audisse acerrime vendunt eo peiores quod quae peccant iustitiâ imputant. Præterea consuetudine videndi miseros exnuant humanitatis sensum aut potius miserum esse non credunt litigare. Et inter hæc iudices omnem in Advocatos culpam rejiciunt illos esse qui cunctantur & ambages quærunt: quasi vero ij peccare nisi ex consensu iudicum possent: Hi rem postulant differri: illi annuunt utrumque majus est vitium? equidem censeo esse illorum, qui cum possint prohibere hæc mala, permittunt. Neget prætor inducias omnes litis articulos intra sex mensium spatium includat, imparatos habeat pro convictis jam causidici desinent ab hac fraude.

10. Certe sæculo hoc nostro non minus litigioso, quam malitioso, quod plus scientiæ, quam conscientiæ habet, omnes con- queruntur de litium diuturnitate, ex qua læpissime evenit eos ipsos qui victoriam cum sumptuum quoque adjudicatione reportarunt, tam longis anfractibus vexatos, ac tot sumptibus misere fatigatos sic affici, ut lugendum sibi potius, esse putent, quod bonæ alioquin litis aut instituendæ aut suscipiendæ consilium ab initio non abjecerint: quam gratulandum quod tanto pretio nudam victoriæ gloriam compararint. Teste *Anton. Fabro in cod. lib. 9. tit. 22. definit. 1. in princ.* Quod certe omnes mirantur, pauci rimantur. Ideoque etiam ipsa summa tribunalia invasit, ut vere pudeat referre, quod impudenter nonnulli evomunt, ibi lites spirare, nunquam exspirare: litigantes diu sperare, nunquam aspirare. Largo namque lachrymarum imbre deplorandum est, quod lites eo appellabiles fiant immortales, nec patris nec filij, imo nepotis termino terminentur. Testis est à *Carpzovio* citatus *Harim. Vultei* à die mortis ipsius de cuius hereditate agebatur,

moder

usque

usque ad lites contestationem elapsos esse annos ferme 28. ab investiturâ novâ usque ad lites contestationem annos 75. Ita nimirum lites non modo hominum plerumque: sed & vivaces cornicularum atque corvorum ætates superant, ut vere dixerimus homines esse mortales, lites verò immortales.

II. Causa horum est multitudo tot Advocatorum & in jus commentantium sine numero ita multiplicatorum, ut vix casus inveniantur, qui non possit juxta *Cevallos* primo articulo citatum in utramque partem ventilari & definiri, non dicam per quos causæ etiam injustæ defendi possint: cujus exemplum refert *Lipsius* loco paulo ante citato: *Galeacius* ait *Dux Mediolanensis*, cum aliquoties audisset *vasro ingenio causidicum esse, qui lites serere, & satas producere, atq; alere etiam in liquido jure posset: hominem ad se accitum affatur: debeo inquit Pistori meo centum aureos, non lubet solvere. Tu equid tueri me in jure, & rem protollere potes, annuit largiter & Principi prompte se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis prius increpitum, laqueo publice necari jussit.* Quod si

moderno tempore omnes illi, qui iniquas causas tuentur, laqueo necari deberent: non vacarent tot patibula, nec tot injustitiæ committerentur. *Hi sunt, ut ait Doctor Mellissus lib. 1. de confid. cap. 9. qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disertis adversus justitiam, eruditi pro falsitate: Sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum. Hi sunt, qui instruunt, a quibus fuerant instruendi: astruunt non comperta, sed susstruunt de proprio calumnias innocentie, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt iudicij vias. Nihil ita absq̃ labore manifestum facit veritatem, ut brevis & pura narratio. Ergo illas, quas ad te necesse erit intrare causas diligenter velim, sed breviter decidere adsuccas: frustratoriasq̃, & venatorias praecidre dilationes. Causa vidua intret ad te, causa pauperis, & ejus qui non habet, quod det. Quid enim necesse est admittere illos, quorum peccata manifesta sunt precedentia ad iudicium.*

12. Quibus omnibus malis exiguo meo iudicio melius obviari non posset, quam si Princeps imitetur exemplum, primo Caroli Magni cujus latam legem citat *Iustus Lipsius*

Lipsius lib. 2. Monitorum polit. cap. 9. q. 1. Hoc missi nostri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Populo autem dicatur ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites eis justitiam facere noluerunt: Ad quæ verba addit Lipsius & Monzambanus de statu Imp. Rom. Germ. Ecce erant illo ævo passim in oppidis & pagis, etiam comites sive graviones, qui communiter jus dicebant: interveniebant extra ordinem & missi sive delegati à Principe: at Carolus ipse tamen audire causas voluit idq; hebdomadatim: causas scilicet graviores, aut in quibus læsio aut injuria, intervenisse ab ipso iudice videbatur. Si non alius in hac re fructus, quantus iste esset coërcere hoc modo iudices & vigilantes attentosq; reddere, cum Principem cogitarent iudicij sui, iudicem & forte vindicem mox futurum. Secundo S. Ludovici Regis Gallia, de qua refert brevium Romanum ad diem 25. August. quod cum metueret, ne causæ pauperum negligenterentur, bis singulis hebdomadis in publico residens, audiebat eorum querelas & tum

justitia, tum misericordia illas expendens,
 celeriter expediebat, quod si quæras qua-
 nam illæ singulares causæ sint à Principe de-
 cidendæ? *Philo Judæus lib. de creatione Prin-*
cipis alludens ad Consilium à Jethro Moyfi
datum Exod. 18. quidquid autem majus fuerit
referant ad te: Majora ait negotia non ut qui-
dam existimant controversias qua inter cla-
ros divites potentessq; incidunt: sed quoties pri-
vati egeni obscuri premuntur à potentioribus
cum nulla prasidij spes est nisi in iudice intelli-
go, ut inquam Princeps curet sibi ad minus
 semel, vel bis in hebdomadâ à singulorum
 suorum judiciorum consiliarijs vel judici-
 bus in scripto exhiberi specificationem sin-
 gularum litium & causarum cum tempore à
 quo ventilatæ sunt, simulque referri, quid
 quomodo agatur, & quæ causæ tantæ pro-
 longationis: Si cuilibet istarum binarum au-
 dientiarum Princeps, unam alteramve ho-
 ram assignet, multa expediri poterunt, cum
 hoc sit primarium Principum munus & of-
 ficium teste *Claudiano: Hoc uno Reges olim*
sunt sine creati. Dicere jus populis injustaq;
tollere facta. Tertio ut omnes causas (illis
 exce-

exceptis, quarum gravitas ordinarium juris
processum requirit) summarie, simpliciter,
de plano sine strepitu & figurâ judicij decidi
curet. Sublatis nimirum omnibus solemniti-
tatibus, quæ sunt juris positivi secundum
Alexand. in cons. 6. col. 2. in princ. in 3. vol.
non tamen citatione cum illa sit juris natu-
ralis & probationibus necessariis, quæ sunt
Juris Divini, ut in ore duorum, vel trium te-
stium stet omne verbum &c. Solum tamen
Principem non recognoscentem superio-
rem, non autem inferiorem à Principe ta-
lem commissionem, & mandatum dare pos-
se docet *Maranta in speculo aureo dist. 9. n. 3.*
Hanc praxin observarunt teste *Carpz. in sua*
Jurisprud. for. part. 1. Const. 1. definit. 1. n. 7. 8. 9.
10. Electores Saxonix Augustus, & Joannes
Georgius: dum per omnes suas ditiones suis
Judicibus mandarunt: ut partes sua jura de
simplici & plano ore tantum absque scriptis
proferrent, nec per apices juris & subtilita-
tes legum domi excogitatas, & in scriptis
conceptas lites protraherent: & hanc praxin
quotidie adhuc in Saxonia servari asserit
num. 10. citato. Sed sunt qui Majestati Prin-
cipis,

cipis, si is pro tribunali sedeat & causas be-
 cidat derogari opinentur : *Da* inquit *im-*
peritum Principem & in gestu ac sermone im-
eptum, an non faciet recta curva & irrisus se
exponet? sed & crebra illa in populo ostenta-
tio & loquutio an non Majestatem vilescere
facit? si severe judicet loco amoris (qui iniquus
summe estimandus) populi odium incurrit: si
remisse jus violabit: Melius itaq; hæc consilia-
riis remittuntur quam Principem varie ab-
stractum in novas arcessere curas. Verum
 tantum abest, ut hæc stringant quin potius
 majorem stimulum addant: Principes utpo-
 te meliore sanguine nati & melius educati
 naturali plerumque judicio & moribus et-
 iam doctos & quosque bene moratos ante-
 cellunt, ut rara causassit in quâ justum discer-
 nere & decernere nequibunt: *Divinatio in-*
quit Sap. Prov. 16. in labiis Regis, in judicio non
errabit os ejus. Ad sunt & assessores ad hoc
 dati, ut pro majestate & consilio adsint: sileo
 quod majorem sibi & reverentiam & timo-
 rem ac majestatem Princeps judicando con-
 ciliet, quantam enim venerationem & timo-
 rem judicibus plebecula etiam innoxia cui
 nihil

nihil negotij cum illis est, aut fuit impendat, quotidiana docet experientia. Sic & Princeps dum severam sententiam pronuntiare cogitur eam clementia vel morum & verborum suavitate ac compassione, sic temperare potest, ut amorem etiam condemnatorum qui ex zelo solum justitiæ contra se procedi cernunt consequatur.

13. His viis Principes inordinato illi, & sumptuoso nimis in judiciis procedendi modo (quæ occulta & gravissimæ exactiois locum & vicem agit) cum magno suo, & subditorum emolumento obviare poterunt.

Quibus incidēter & utiliter occasione judicis, & judiciorum dictis: utramque propositionem falsam, nec ut probabilem defendi posse sentit & probat *P. Antonius Teryllus* q. 24. *Affert. 3.* his fere rationibus.

I. Quia Judex, ut persona publica, & lex animata debet procedere secundum allegata & probata: & sententiam libello, actisque & meritis in illis allegatis conformem ferre: non verò secundum suam privatam opinionem & phantasiam; cum eo fine partes merita causæ allegent. Et quid & ad quid delectus

ctus

Etus Judicis, si ille inter duas æque vel differenter probabiles pro suo libitu & placito possit sententiam ferre? certe miserrimus esset status pauperum viduarum & pupillorum litigantium, si id Judici liceret, ordinariæque divites triumpharent.

2. Quia si id reo constaret Judicem secundum suam privatam opinionem, non secundum fortiora causæ merita sententiasse, juste appellare posset, adeoque signum est, Judicem à quo iniquam tulisse sententiam cum non à justa, sed ab iniqua solum appelletur. Hoc maxime attento quod tota causa appellationis non à causæ meritis sed Judicis libertate & iniquitate oriatur.

3. Quia Judex debet secundum Jura judicare, at Jura præscribunt debere secundum probabiliora judicari: *inspicendum est inquit jus tam Canonicum quam Civile in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit: Reg. 45. Juris in 6. item l. ob carmen. ff. de testam. confirmabitque Judex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, que & rei aptiora & verò esse proximiora compererit. l. Tiraquella ad l. si unquam col. de*

revo.

re voc. don. Menoch. lib. 1. de presumpt. q. 29. & 39. & S. Ambrosius serm. 20. in psalm. 119. Bonus Judex ait nihil ex arbitrio suo facit, & domestice proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat: statutis quoque juris obtemperat, non indulget propria voluntati; nihil paratum & mediatum domo defert, sed sicut audit, sic judicat, & sicut se habet negotij natura.

PROPOSITIO IV.

In causa equali potest judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.

PROPOSITIO V.

Licitum est judici pro sententiâ injustâ pretium accipere.

14. **N**ON sine causâ Deus in sacrâ scripturâ toties & tam severe vetat Judicibus, ne accipiant munera: Deut. 16. Judices

ces

ces ait Deus constitues in omnibus portis iudicium, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera, quia munera excecant oculos iudicum, & subvertunt verba iustorum. *Historia* i. quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicida. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa vidua non ingreditur ad illos. Non sine causa dico hæc exprobrationes, incredibile enim dictu est, quomodo munera excecant rectum iudicij oculum, & affectum in alteram iustitiæ contrariam partem trahant: nec ullus mihi persuadebit eos, qui à partibus, quibus iustitia contrariatur munera accipiunt, iuste iudicare: licet conscientia suæ aliquod pallium forment, quod vix ulla tam absurda sit sententia, quæ non futilibus aliquibus rationibus propugnari possit, & aliquos pro se Authores habeat. Exemplum Romæ factum est, qui ab illo, cui contigerat, audiit, dum hæc scribo refert de duobus in causa quadam maximi momenti, & aliquot millium mi-

porta-

portativa referentibus, in hunc modum: Examinauerant ambo merita causæ diligentissime & de sententia solutis omnibus, quæ contra obijci poterant, argumentis conuenerant, rescit id, cui contrariabatur Justitia, & alterum ex referentibus, qui senior erat, secreto sibi revelato muneribus impugnare decrevit, aliquot millenis illi præsentatis: renuit aliquamdiu accipere, tandem doni magnitudine victus, ipsum & cum ipso disaffectum justitiæ acceptavit; conuenerunt iterato ambo referentes (non latebat autem juniorē, senioris corruptio) & ecce corruptus senior omnia argumenta ante approbata impugnare, correferenti bene suadenti acquiescere nolle, donec is illi: liceat inquit mihi tibi ad animam loqui; scio te muneribus corruptum, quæ nisi corrumpenti remiseris, nunquam justam sententiam feres: paruit consilio & abdicatis, remissisque, quæ acceperat donis sanum & justum iudicium rediit idemque ut ante senserunt.

15. *Ferbro* summum *Moyfis* in populo iudicando laborem videns, *Provide* ait tibi *de omni plebe viros timentes Deum, sapientes*
 & *stre-*

& strenuos, in quibus sit veritas, qui oderint a-
 varitiam, elige & constitue ex eis, qui iudicent
 populum omni tempore; ad quæ verba Cap-
 tanus in cap. 18. Exod. Viros inquit non mu-
 lieres valentes ingenio: prima enim pars iudi-
 cis à naturali ingenio est: viri siquidem inge-
 nij naturaliter sunt aliorum Rectores. Timen-
 tes Deum: prima enim virtus Principis & ju-
 dicis cujuscunq; ordinis est timor Dei, oportet
 enim jus dicentem aliis rationem superioris ju-
 dicis intuentis cor, & singulas condiciones iu-
 dicantis, atq; judicij attendere, ut sic iudicet al-
 lios tanquam certus, quod sit ipse rationem red-
 diturus Deo de suis judiciis & ratione iudi-
 candi: Si enim solus timor humanus in animo
 regnat iudicis, innumerabiles injurias faciet.
 Viros veritatis tum in dicendo tum in facien-
 do, quod dixit. Et qui oderint avaritiam:
 quamvis sufficiat homini non esse avarum, non
 sufficit tamen iudici: sed oportet eum tam alie-
 num esse ab avaritia, ut oderit ipsam, minus
 dico: quia participium habetur in Hebræo odi-
 entes avaritiam, significat affectos continuo o-
 dio avaritiæ, & non qui ad horam oderit avar-
 itiam.

16. Accipere proinde munera, quod ad
avaritiam spectat, cuilibet etiam Judici illi-
timum est, antiquum enim proverbium est;

Das Geldt das stumm ist
Macht geradt was from ist/
Qui caret nummis
Dem hilfft nicht daß er from ist.

Munera Pontifices subvertunt munera Reges:

Munera jus statuunt, destituuntq; simul.

Munera pervertunt Reges, decretare fellunt,

Evacuant patrum jura rigore suo.

Munera judicij librā moderantur, & ipsam

Protinus inflectunt, quae data pensa trahunt.

Omnia vincit amor, sed amorē munera vincūt

Excoecant oculos, precipitantq; gradus.

Munera si cessent, cessabunt furgia, lites.

Mars cadet, & veneris nullus amicus erit.

Munera si cessent, miseris mortalibus ullus

Clamor, nec luctus, nec dolor ullus erit.

Ponderantur jam vulgo sententiā ad li-
bram amicitiae Judex est non ratio sed affe-
ctus: hinc madent non raro innocentum la-
chrymis tribunalia, stillant justorum sangui-
ne ju-

ne iudicum manus, turgent inopum ære divi-
 tum crumenæ. Audite iniqui iudices quibus
 vos verbis perstringat *D. Innocentius* Patro-
 nus Innocentium *de contemp. mund. l. 2. c. 4.*
Vos non attenditis merita causarum, sed merita
personarum: non vitam, sed munera: non ju-
stitiam, sed pecuniam: non quod ratio dicit,
sed quod voluntas affectet: non quod lex sanciat,
sed quod mens cupiat: non inclinatis animum
ad justitiam, sed justitiam ad animum, non ut
quod licet lubeat, sed ut liceat hoc quod libet.
 Nec est, quod prætant Judices munera
 sibi à partibus libere & spontanee non co-
 actis dari, nec esse, qui ea exigat, revera enim
 partes litigantes, si se scirent abique hoc &
 æque cito justitiã habituros, non offerrent
 munera: adeoque revera virtualiter involun-
 tarie dant, & in hoc illi Judices maxime cul-
 pabiles sunt, qui nisi veniant smiralia: vel
 causas ad longum tempus protendunt; vel
 quæsito novo colore & authoribus contra
 illum, qui partibus suis in offerendo defuit,
 pronuntiant: videant inquam tales, quomo-
 do coram Deo, qui intima cordis penetra-
 lia rimatur, & intentiones discernit, ac dilen-
 tit, suo

tit, suo tempore subsistant : an non sint rei restitutionis expensarum quas causant, dum quod in principio & facile decidere possunt: in longum tempus cum summo litigantium damno differunt:& adhuc scepe de post illum, qui nihil, vel minus, quam altera pars, quæ injustam causam fovebat obtulit, ad concordiam absque expensarum refusione quodammodo cogunt. Lepidum est quod refert ad hoc propositum *Mascardus de probationibus vol. 1. Concl. 150. n. 3. circa fin.* Judicibus specialiter attribuens avaritiam.

Quarto amplia ait ut procedat etiam in iudicibus quibus precipue adscribitur avaritia ut dicit *Nevizan in sylvanuptial lib. 5. verbo iudicandum fol. mihi 226. colum. 2.* ex mente *Arist. cap. 18. problem. 4.* Hinc pictores pingunt quinque videlicet Papam Judicem militem, agricolam & sceminam, & subscribunt.

Papæ	} orat pro illis defendit illos alit illos decipit illos furatur illis	} quatuor
Militi		
Agricolæ		
Mulieri		
Judici		

Ex qui-

Ex quibus quilibet facile inferet, quid ad allegatas propositiones dicendum sit: si enim iniquum est pro iustâ sententiâ, longe iniquius erit pro injusta acceptare munera, *si avaro nihil est scelestius*, quia animam suam venalem habet: quid dicendum de illo, qui non animam solum, sed & Justitiam, imò quod gravius est injustitiam venalem habet? Sed causa, cur injustam sententiam Judex vendere, & pro eâ pretium accipere potest, ea est, quod illa non debeat parti: propter sententiam justam nihil accipere à Cliente, vel retinere Judex, vel quis similis potest, quia tunc ipsa acceptio est injusta ratione sui: si enim sententia est justa, debeat ea Clienti: si debetur, ergo ei vendi per pretium à Judice non potest: iam subsumamus, sed sententia iniusta non debetur parti, ergo illi vendi potest. Sed quæso, potestne Judex vendere iniquitatem, quam ipse fecit & quod suum non est? an non debebat eundem laborem vel certe minorem impendere, si iustam sententiam tulisset & gratis, quo titulo ergo pro injustâ sententia pretium petit? an ob injustitiam? forte ita, ut sicut ex duabus negationibus

nibus, fit una affirmatio, sic ex duabus inju-
stitiis, quæ negationum, vel privationum ju-
stitiæ vigorem habent, fiat una justitia, sed
grandi errore; appone ait psalmista ps. 68. *ini-
quitate super iniquitatem, & non intrent
in justitiam tuam: deleantur de libro viventi-
um, & cum justis non scribantur.*

18. Bene proinde dixit *Isidorus Hispalen-
sis; gravius lacerantur pauperes à pravis ju-
dicibus, quam à cruentissimis hostibus: nullus
enim predo tam cupidus est in alienis, quam
Iudex iniquus in suis. Hostes in alienorum tan-
tum sanguinem intendunt: Judices quasi cru-
delissimi carnifices oppressione suâ vitam civi-
um subditorum extinguunt.*

Sed à Judicibus ad Advocatos transeamus:
illis non minus quam Judicibus patrocinan-
tur, qui docent.

PROPOSITIO VI.

*Advocatus causam, quæ semiplene proba-
ri, convinci tamen nequit, licite de-
fendit.*

Z

Propo-

PROPOSITIO VII.

Si causa ne quidem semiplene probari, incepta tamen patrocinari poterit.

PROPOSITIO VIII.

Actori nullum, jus habenti & accusare volenti Advocatus Patrocinari poterit.

19. **Q**varum omnium fundamentum est: quod contingat causas bene fundatas male cadere, & sæpe male fundatas bene succedere. Sed novæ huic ad inventioni nequaquam assentiendum, potius audiendus *Doctor Angelicus*, communi hactenus ab omnibus approbatæ sententiæ in hærentis: dicendū inquit: ille 2. 2. q. 71. a. 3. in corp. quod illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercunq; consentiendo, quia consilians & coadjuvans quodammodo est faciens, unde & supra

supra dictum est, quod tales omnes ad restitu-
 tionem teneantur, manifestum est autem, quod
 Advocatus & auxilium & consensum praestet
 ei, cujus causa patrocinator. Unde si scienter
 injustam causam defendit: absque dubio gra-
 viter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus
 damni, quod contra justitiam per ejus auxili-
 um pars altera incurrit. Et ibidem in solut. ad
 2. Advocatus ait si in principio credidit cau-
 sam justam esse, & postea in processu pateat
 eam injustam, non debet eam prodere, ut scili-
 cet aliam partem juvet, vel secreta sua causa
 parti revelet, potest tamen, & debet causam de-
 serere, vel eum cujus causam agit, ad ceden-
 dum inducere, sive ad componendum sine Ad-
 versarij damno. Quis Advocatus inquit S.
 Augustinus Epist. 54. aut ex Advocato vir op-
 timus reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe,
 quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, &
 redde adversario tuo, quod me agente inique
 abstulisti? Et tamen etiam hoc facere debet, ut si
 ille, qui inique litigavit, non vult admonitus
 corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis
 noli iste habere mercedem: nisi forte restitu-
 endum est alienum, quod per fartum clanculo
 Z 2 auffer-

auffertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto iudice & circumventis legibus obtinetur?

20. Tanta certe hoc tempore est Advocatorum injustitia, ut de eis merito queratur Petrus Blesensis Epist. 26. Hodie ait soli avaritia militant causarum Patroni, illudque quondam venerabile nomen, & gloriosa professio Advocati, notabili vanitate vilescit, dum miser & perditus linguam vendit, lites emittit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones violat, detrectat transactiones, privilegia frangit, & in capturam pecunia pedicatas & retiacula tendens, jura omnia intervertit. Cui consentiens Joan. Sacrisb. lib. 5. pollicrat. cap. 10. Experto ait crede de talibus in manus eorum millies incidi, & ut aliquid de fabulis mutuemur: portitor immitis Charon, qui nemini pepercit unquam, istis longe clementior est: stipe siquidem, vel triente, solat esse contentus, at isti asses integros sibi multiplicari jubent. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent, ego vero credo me vidisse ostiarios Cerbera duriores. Apud inferos tantum unus est Cerberus:

us: quot sunt diverticula curialium, tot Cerberis sunt. In uno tamen piissimos esse miraberis, quod querelas libenter audiunt. Fovent humiliorum causas, & eosq; patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum: nam quocumque modo causa procedat, hoc semper agitur, ut loculi impleantur, etsi avaritia impleri nequeat.

21. His addi potest Vernuleus lib. 3. inst. polit. cap. 4. §. 9. n. 5. multi Advocati inquit, & Procuratores multas faciunt lites: & cum pleriq; tantum sint Mancipia lites alunt, ut sua repleant mar supia. Horum multitudo hominum non est sanitas orbis terrarum: nimis hodie multi ad calamum sudant: nec sane opus est tot sollicitatoribus, saculariis, scribis, Accēsis, Ostiariis, Rabulis, & id genus hominibus, quorum labor in verbis longo foliorum apparatu strepit.

Ex quibus facile est concludere, quid dicendum de iniquis testibus: qui utique, si pro iniquo, falsoque testimonio quid acceperint, non minus, quam Judices, & Advocati restituere tenebuntur, sed jam ad alias laxitates pergamus.

Z 3

Propo-

PROPOSITIO IX.

Non tenetur quis restituere, quod per minuta furta abstulit, licet sit magna summa totalis.

22. **Q**uam Schola Theologica Lovanienfis sicut & plures sequentes censuravit, & condemnavit Anno 1653. & 57. eodem enim modo justitiæ repugnat retinere rem notabilem alteri debitam, ac illam uno actu auferre: licet non sit injustitia ratione acceptationis, si absit intentio illa successive furandis: est tamen ratione rei acceptæ, quam in notabilem quantitatem crevisse supponitur, habeatque possidens quod suum non est, sed alterius, adeoque restituere obligatur tanquam detinens rem alienam; in quo æque peccat, quam si eam furatus fuisset. Ex eodem fundamento ruit, quæ sequitur,

PROPOSITIO X.

Qui cessit foro potest sibi retinere bona quibus indiget ad sustentationem familiae

milie ne indecore vivat : licet debita pro quibus cedit sint ex injustitia & delicto contracta.

23. **S**Ed non obstante ratione jam adducta probat illam assertor : quia talis cedens ad propria alimenta jus habet, & qui illis caret, est in gravi necessitate constitutus, in qua aliena etiam posse surripi, nedum propria occultari, communis jam nunc sententia est. Quod fundamentum si subsistat : certe hallucinata est *Schola Theologica Lovaniensis* eam censurando : sed allata suppositio &

PROPOSITIO XI.

Licetum est furari non solum in extrema sed etiam gravi necessitate.

24. **A**Bsolute falsa est, adeoque & Propositio, quæ illi, ut fundamento superstructa : communis enim teste *Navarro in Manual. cap. 17. n. 119. sententia fuit peccare illos, qui citra extremam necessitatem diripiunt, res etiam alteri superfluas, ad sibi, vel aliis*

Z 4. subve-

subveniendum. D. Thomas 2.2.q. 66. a 7. ad
 2. In casu extrema necessitatis omnia sunt com-
 munita. Vnde licet ei, qui talem necessitatem pa-
 titur, accipere de alieno ad sui sustentationem,
 si non inueniat, qui sibi dare velit. Consentit
 Bannez ad text. cit. D. Thoma Suarez disp. 7.
 de charitate sect. 5. n. 8. Durandus in 4. dist. 15.
 q. 8. n. 7. omnesque qui prioribus sæculis
 scripserunt, ut merito Schola Theologica tan-
 quam Doctorum torrenti contrariam, &
 quæ det pauperibus ansam ad passim furan-
 dum condemnauerit.

PROPOSITIO XII.

*Famuli & famula possunt occulte heri
 surripere ad compensandam suam ope-
 ram, quam majorem judicant salario
 quod accipiunt.*

25. **H**ic memorata Schola Theologica
 hanc censuram inussit: quod scilicet
 sit falsa, naturam hominis de se pronam ad ma-
 lum precipitans in furta ac pacem domesticam
 peruer-

perturbans, eo vel potissimum, quod ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum iudicio relinquatur. Et merito cum nullus debeat esse iudex in propria causa, eo quod proprius amor corrumpat iudicium, & quilibet in propriis defectibus cæcutiat. *Commune hoc malum ait Isidorus Pelusota lib. 4. Epist. 25. esse videtur, ut homines non solum in rebus propriis cacutiant, proximorum autem delicta acute cernant: sed etiam sibi ipsis accusationes, defensionesq; quamlibet in vitas arcessant.* Sed quid, si horum Doctorum famuli in suorum herorum bonis huius sententiæ in praxi initium facerent: an putamus eos hoc æquo animo laturos? vix credibile est. Cur ergo, quod sibi fieri nolunt, alios facere docent, & suadent.

26. His accedit, quod si licitum sit famulis in casu proposito, uti occulta compensatione: idem indubie licebit Dominis contra famulos: si iudicent ipsorum operam condictæ mercedi non æquari, sed minorem esse: quod ergo illo supposito famuli Dominis, iudicarent illi iustum contra se, hoc quoque sciant sibi illicitum contra Dominos.

Z 5

Sed

Sed dices alia via satisfactionem habere ne-
 queo; an ergo non est via iustitiæ? an non po-
 tes te abdicare servitio, & alium herum qua-
 rere? quod si neutrum ex illis potes, potius &
 melius est injuriam pati, quam inferre, ne
 majoribus te malis obvolvas, nec tibi con-
 tingat, quod cuidam studioso, qui cum hanc
 sententiam in scholis scripsisset, & domi pra-
 cticasset, tandem deprehensus carceri man-
 cipatus est: & licet se secundum sua scripta
 publice etiam producta operatum probaf-
 set publicam tamen virgarum pœnam, non
 evasit, adjuncto à Magistratu mandato, ut
 scripta jam dicta publice cremarentur: Fuit
 etiam insignis quidam Dominus, qui cum
 quendam Principis Confessarium, an licitum
 esset, uti occulta compensatione interroga-
 set: & is affirmative respondisset: si inquie-
 batis ego Princeps essem, & illum qui vestro
 consilio id practicasset, & vos patibulo affi-
 gi curarem. Sed ecce aliam priori *similem.*

PROPOSITIO XIII.

Qui alium movet aut inducit ad inferen-
dam

*dum grave damnum tertio: non tene-
tur ad restitutionem damni illati.*

27. **H**anc aperte falsam & receptissimis
Iustitia Regulis contrariam censet
Schola Lovaniensis. Generale ab omnibus
hucusque admissum principium fuit, quod
omnes ad iniustitiæ illationem efficaciter
concurrentes ad restitutionem, vel quilibet
pro suâ quotâ, vel in solidum si alij negli-
gant, restituere obligarentur: inter concur-
rentes autem principalior censetur, qui ju-
bet: loquendo inquit Tannerus tom. 3. diss. 4. q.
6. dub. 14. n. 398. de titulo restitutionis ex inju-
sta acceptione precise, juxta S. Thomam: Pri-
mus est jubens, quo etiam pertinet vi cogens,
aut fraude consulens, aut quolibet modo indu-
cens, ut suo nomine damnum inferatur, imò u-
niversum malum consulens, ut insinuat S. Tho-
mas, & aperte docet Cajetanus art. 6. c. Ban-
nez. art. 7. consulentem executori anteponentes
& merito. Pro quo sicut etiam anterioribus
propositionibus furtum concernentibus est
clarissimus textus Gregorij 9. cap. si culpa ex-
tra de injuriis & damno dato: ubi Pontifex

ait: si tua culpa damnum datum, vel injuria irrogata: seu aliis irrogantibus opem fortasse tulisti, aut hac imperitiâ tuâ, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, esse factu tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.

28. Ad materiam quoque hoc Decalogico præcepto vetitam spectat usura, quæ est furtum fraudulentum fœnus dictum à fœtu & fœtura quadam pecuniæ parentis, quæ certe contra naturam est: cum enim pecunia ex naturâ suâ sit sterilis, contra naturam est, quod quis ex eâ fœtum expectet. Sed tanta est modo usurarum frequentatio, ut merito S. Basilius in psalm. 14. vocet pecuniam bestiam fœcundam. Hi sane ait fœtus usurarum, recte genimina viperarum dicuntur: viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo nasci: sic item fœnora debitorum domus absumentur nascuntur: semina omnia suo tempore nascuntur, animalia quoq; præstituto tempore fœtus suos pariunt: fœnus autem hodie natum, hodie parere incipit. Et S. Ambrosius lib. de Tâbia cap. 10. Nihil interest inter funus & fœnus, nihil

nihil inter mortem distat, & sortem, personae
funebrem ululatum funebris usura.

29. Usuram utriusque Testamenti pagi-
nis condemnari testatur *Alexander III. in*
Concil. Lateranensi cap. 25. & Clemens V. in
Concilio oecumenico Viennensi: sane ait, si quis
in illum errorem inciderit, ut pertinaciter af-
firmare praesumat, exercere usuram, non esse
peccatum: decernimus velut Haereticum pu-
niendum. Notat autem *S. Augustinus in psal.*
36. conc. 3. non solum in nummis, sed etiam
in qualibet alia materia usuram exerceri pos-
se, si plus nimirum recipias, quam dedisti.
Quodcumque sorti accidit ait S. Ambrosius lib.
vi. cap. 14. usura est. Cur vocabulum refugis?
tur velamen obtexis? Hoc velamen obtex-
erunt illi, qui Judaicum hunc contractum
quaesitis formosis, sed falsis titulis licitum fa-
cere volunt, quorum est sequens.

PROPOSITIO XIII.

Usura non est dum ultra sortem ex grati-
tudine & benevolentia aliquid exigi-
tur: & non ut ex justitia debitum.

Huic similis est alia.

Z7

Propo-

PROPOSITIO XV.

*Contractus Mohatra licitus est respectu
ejusdem persone, & cum contracture-
venditionis prævie inito ex intentio-
ne lucri.*

Est autem Contractus Mohatra: quando
aliquis egens pecuniâ, emit pecunia cre-
dita à mercatore merces pretio summo, &
statim ei pecunia numerata pretio infimo
revendit.

30. Veramque hanc assertionem censu-
ravit *Schola Theologica Lovaniensis Anno*
1657. & dudum ante contra eandem senten-
tiam tulit *Urbanus III. cap. consuluit extra de*
usuris. *Consuluit nos ait tua devotio, an ille in*
judicio animarum quasi usurarius debeat ju-
dicari, qui non alias mutuo traditurus, eo pro-
posito mutuanam pecuniam credit, ut licet omni
conventionione cessante plus tamen sorte recipiat?
& utrum eodem reatu criminis involvatur,
qui ut vulgo dicitur, non aliter parabolam

ramenti concedit, donec quamvis sine exactio-
ne emolumentum aliquod inde percipiat? & an
negator pœna consimili debeat condemnari,
qui merces suas longe majori pretio distrahit,
& si ad solutionem faciendam prolixioris tempo-
ris dilatio prorogetur, quam si ei in continenti
pretium persolvatur? verum quia, quid in his
casibus tenendum sit ex Evangelio Lucae ma-
nifeste cognoscitur in quo dicitur; date mutu-
um nihil inde sperantes: hujusmodi homines
pro intentione lucri, quam habent, cum omnis
usura & superabundantia prohibeatur, in lege
judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ rali-
ter sunt accepta restituenda in animarum ju-
dicio efficaciter sunt inducendi.

31. Ecce clarissimus Juris Canonici tex-
tus, sed primam propositionem in simili su-
pra, ubi de Simonia agebatur, virtualiter re-
futaram invenies. Pro secunda verò, quæ ini-
quissima est nescio quis prætextus, nisi pura
titillatio novitatis præformari poterit, sed
jam ad alia.

Avaritiam omnis injustitiæ, quæ hoc præ-
cepto specialiter vetatur radicem, fomen-
tum & promotricem esse initio hujus Ar-
ticuli

tuculi dictum est: illa est, qua instigante
 alienum rapit, & detinet; illa stimulante Ju-
 dex injuste judicat, Advocatus iniquis cau-
 sis patrocinatur testis falsum testimonium
 profert &c. Nec solum sed & ipsa est, quae
 claudit viscera misericordiae, ne subveniatur
 indigentibus, & liberalitatis inimica est: ad
 liberalitatem enim pertinet juxta D. Thom.
 2. 2. q. 115 ar. 2. in corp ut neque propter im-
 moderatum amorem pecuniae aliquis impediatur
 à convenientibus dationibus. Et S. Ambrosius
 lib. 1. offic. cap. 30. Perfecta est inquit liberali-
 tas, ubi silentio quis regit opus suum, ut necessi-
 tatibus singulorum occulte subveniat: quem
 laudat os pauperis, & non labia sua. Grandis
 culpa si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine
 sumptu esse, fame laborare, arumnam perire,
 qui praesertim egere erubescat: si in causa ceci-
 derit, aut captivitatis suorum, aut calumniae
 & non adjuves. Et rursus de Nabuthe cap. 2.
 non de tuo inquit largiris pauperi, sed de suo
 reddis: quod enim commune est in omnium u-
 sum datum, tu solus usurpas, debitum ergo red-
 dis, non largiris indebitum.

32. Sed non obstantibus tot præceptis divinis in sacris literis latis, tot salutaribus ipsiusmet Dei opera misericordiæ, & eleemosynam suadentibus, tot divinis æternæ vitæ & temporalium rerum etiam abundantia promissionibus: inventi sunt belluis crudeliores, qui asserere præsumperunt.

PROPOSITIO XVI.

Non tenetur dives nequidem de superfluis sui status dare Eleemosynam.

Cvi affinis est, si non in laxitate superet, quæ sequitur.

PROPOSITIO XVII.

Hic actus divitis nolo erogare de superfluis status Eleemosynam in communibus necessitatibus non est mortale.

Prioris rationem hanc adfert Author alias enim ait pauci divites salvarentur. Ergone hoc absurdum est? An non certissimum

imum

mum Salvatoris effatum : *quam difficile in-*
quentis luca 18, 24. & 25. qui pecunias habent
in Regnum Dei intrabunt ? facilius est enim
camelum per foramen acus transire, quam di-
vitem intrare in Regnum Dei. In quibus qui-
 dem verbis Salvator non dicit impossibile
 esse divitem intrare in Regnum Dei : Sed
 quemadmodum non absque miraculo ca-
 melus per foramen acus transire potest : ita
 nec absque illo divites intrabunt in regnum
 coelorum : sic enim ordinarie divitiis immer-
 guntur, ut illos quodammodo Dei loco ha-
 beant plus de illis, quam de Deo cogitantes
 illos adorantes, omnem reverentiam, cul-
 tum & obsequium exhibentes, ut merito a-
 varitia ab Apostolo dicta sit *Idolorum servi-*
tus : & quanto plus crescunt divitiæ, & num-
 mi tanto quoque plus crescit affectus adil-
 la, juxta commune proverbium :

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia
crescit.

33. Nec dubium est principalem causam
 damnationis divitum, esse immiserordiam
 & crudelitatem erga indigentes : quod eo-
 rum

rum miseriam videntes nihilominus viscera
misericordiæ illis occludant: malintque scœ-
pius id dare equis, canibus & brutis animan-
tibus, quo animas, corpora & miseras ino-
pium sublevare possent quam iisdem. Vni-
cum etiam, quo divites salvari possunt me-
dium esse eleemosynam plures sancti Patres
& ipsa S. Scriptura sentit: *Luca 11. Quod su-
perest date Eleemosynam, & ecce omnia mun-
da sunt vobis, & Daniel 4. Peccata tua Elee-
mosynis redime, & iniquitates tuas misericor-
diis pauperum.*

34. Cum ergo quod ab Authore pro ab-
surdo adducitur absurdum non sit, nec affer-
tionem per ipsum tanquam per absurdum
probare potuit: ruit ergo prima assertio ni-
hilominus pro verificanda utraque assertio-
ne, ecce novam inventionem, qua afferunt
vix inveniri inter divites & sæculares qui ha-
beat superfluum ad suum statum, nec dicen-
da superflua ea, quæ ad meliorem statum
conservantur, cum nemo teneatur propri-
um statum, ne proximus amittat suum deij-
cere, vel ab altiori acquirendo desistere. Vn-
de vix aliquis tenetur ait alter secundum o-
pinio-

pinionem nostram ad Eleemosynam, quanto tantum tenetur de superfluo status: sed absurditatem hujus opinionis advertens *Schola Theologica Lovaniensis Anno 1657* censuravit illam, quæ sequitur.

PROPOSITIO XVIII.

Superfluum non est, quod servant homines pro status sui, vel parentum qualitate habita vel adipiscenda, ideoque vix poterunt inter seculares inveniri, qui superfluum habeant.

35. **E**Cce quo loco apud hos Autores sine paupe es ut illis quodammodo omnia media vivendi subtrahere conentur: sed videant, ne illi contra se licentiam in gravi etiam necessitate furandi concessam usurpent, & quod ex misericordia adipisci nequeunt, propriâ autoritate tanquam suum tollant, cogitent etiam, quod sibi fieri vellent, si & ipsi indigentes essent, an non longe tunc acriter sentirent, improbarentque illam ab alio

alio sibi consentiente Authore confessarijs datam instructionem: *Confessarius* inquit *is* *absolutionem à peccatis diviti negare facile non debet, quod communes pauperum miserias per Eleemosynam sublevare monitus recuset. Tum quia de obligatione hac, an & qualis sit Doctores dissentiunt: tum quia dives semper aliquã causam in specie præferat, cur recuset.*

36. Miratur quandoque intellectus humanus statum hujus vitæ considerans, dum probissimos in summa egestate vivere, & iniquos sæpe delitiis, omniumq; rerum abundantia affluere videt: Sed causam illius dat *S. Augustinus hom. 13. inter 50. Quando facit Deus pauperes, ait probat divites, sicut scriptũ est: Pauper & dives occurrerunt sibi, ubi sibi occurrerunt? in hac vitã: natus est ille, natus est & ille, invenerunt se occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: divitem unde pauperem adjuvaret, pauperem unde divitem probaret. Pro Viribus suis unusquisq; faciat, non sic faciat, ut ipse patiat angustias: non hoc dicimus: superflua necessaria sunt aliis: hinc est illa sapientis ad divites exhortatio Eccl. 42. & seq. Animam esurientem ne despexeris,*

& ne

Et ne exasperes pauperem in inopia sua: cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti maledicentis enim tibi in amaritudine anime exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.

37. Quod si divites considerarent non sua esse, sed Dei dona, quæ habent & ad sublevandum proximum in necessitate existentem collata: faciliores ad Eleemosynas essent, cum qui libet de alieno facile sit liberalis: Ille ait S. Augustinus serm. 15. de divers. c. 1. qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordie nomine, quam inflatur superbia vanitate. Meum est inquit Deus aurum, meum est argentum, non vestrum o divites terre, quid ergo dubitatis dare pauperi de meo, aut quid extollimini cum datis de meo. Quibus accedit, quod etiam Christus sibi ipsi factum censeat, & pro inope cui Eleemosyna datur, debitorem se constituat: quamvis inquit Matth. 25. uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis, quomodo ait ad hæc Cyprianus tract. de opere & Eleem. magis potuit justitia & misericordie nostra opera provocare, quam quod prestari

præstari sibi dixit, quidquid egenti præstatur & pauperi, ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur.

38. Novum tamen modum absque ullo sui detrimento succurrendi pauperi, adinverunt Neoterici: cum enim jam docuissent non teneri aliquem de superfluis succurrere egentibus: ne tamen omnino illos desolatos relinquant, & quidem in extrema necessitate volunt illis per mutuuum subvenire ratione cujus sit.

PROPOSITIO XIX.

Sufficit extreme indigentibus per mutuuum subvenire sub conditione, ut tempore lautioris fortune restituant.

Quia pergit Assertor: si egenus sublevatur quocunque modo, impletur præceptum: quod tanta confidentia profertur, quali oraculum esset, cum piaculum sit, sed longe aliter, & melius ipsa veritas: *mutuuum* inquit

inquit date nihil inde sperantes: ubi certe non
 de rigoroso mutuo sed Eleemolyna loquitur
 communis Sanctorum Patrum est opinio:
 idque sacrae scripturae conformiter Prov. 14.
 foeneratur Domino, qui miseretur pauperis:
 idem ergo mutuum est respectu Dei, opus
 Eleemolynae & misericordiae respectu pau-
 peris: *Intellige dicti efficaciam ait Basilius in*
psalm. 14. & legislatoris humanitatem admi-
raberis. Quando pauperi das in Domini gra-
tiam, idem ipsum donum est, & mutuum: do-
num quidem, quod a paupere non speres te re-
cepturum: mutuum vero sive faenus, ob Do-
mini magnificam liberalitatem pro illo reddentis;
qui parva quidem cum per pauperem ac-
ceperit, maxima pro ipsis retribuet. Et S. Am-
brosius ad praedicta sapientis verba & ipse
alludens lib. de Job. cap. 16. Date ait mutuum
ijs, a quibus non speratis vos, quod datum fue-
rit recepturos. Nullum hic damnum est, sed
compendium: minimum datis, multum reci-
pietis: in terra datis & id vobis solvetur in cae-
lo: faenus amittitis, mercedem magnam habe-
bitis, foeneratores esse desinitis, filii eritis altis-
simi: eritis misericordes, quo vos patris altissimi
 probetis

probetis heredes Sed fœneratorum vos delectat
 & usurarum vocabulum? Id quoque non in-
 video, docebo, quomodo boni fœneratores esse
 possitis, quomodo bonas queratis usuras, dicit
 Salomon, fœnerat Domino, qui miseretur pau-
 peris, secundum datum autem eius retribuet
 ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est: Ecce
 irreprehensibilis fœnerator: Ecce usura lauda-
 bilis. Igitur misericordes Domino mutuant, &
 merces multa illis promittitur, sicut è contra-
 rio, qui obturat aurem suam ad clamorem
 pauperis & ipse clamabit, & non exaudietur.

39. Sed mille excusationes prætendunt,
 qui aures suas ad clamorem pauperis obtu-
 rant: inter quas primum locum habet illa,
 qua se filiis thesaurizare iisque bona servare
 debere quæruntur. *Servat tibi Pater tuus ait*
S. Augustinus de decem chordis cap. 12. servas
tu filiis tuis, filij tui filiis suis, & sic per omnes
& nullus facturus est precepta Dei? Quare
non impendis omnia, qui te fecit ex nihilo, qui
te fecit ipse te pascit, ex his, quæ fecit, ipse pascit
filios tuos: nec enim melius committis filiis tuis
Patrimonium tuum, quam creatori tuo. Et
paulò post: dicitur de quodam, quare non facit

A a

Eleemo-

Eleemosynam? quia servat filiis suis, contingit, ut amittat unum: si propter filios servabat, mittat post illum partem suam: quare illam tenes in sacculo, illum relinquis ex animo? redde illi quod suum est, quod illi servabas. Mortuus est inquis. Sed præcessit ad Deum, pars ipsius debetur pauperibus illi debetur, ad quem perrexit, Christo debetur, ad quem perrexit. Et Basilus hom. 7. in ditescentes. Nonne ait multis opes fiunt causa luxuria. Considera igitur ne opes multis cum erumnis cumulas relinquendo, peccandi materiam aliis suppedites, duplici poenâ postmodum plectendus, & tuorum scilicet criminum causa, & aliorum, quibus delinquendi materiam præbueris.

40. Altera, quam immisericordes prætendunt excusatio ea est, quod in posterum consulere sibi velint. Avaritia inquit Augustinus, serm. 43. de diversis c. 8. dicit consule tibi in posterum, homini fortassis victuro, nec in crastinum. Sed ecce vivat, quantum putat avaritia & senuerit: adhuc senex, incurvus, baculo innixus lucrum querit, & audit avaritiam dicentem consule in posterum. In quod posterum? jam expirans loquitur propter filios tuos,

tuos, & inquit, utinam vel illos senes habeamus non avaros, qui non habent filios. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nulla pietatis imagine excusantibus non cessat avaritia dicere: consule in posterum, nimirum horrendus pecuniarum amor, senium nescit, satietatem ignorat, letitiam respuit, finem capere minime sustinet: imò verò indies vigens, vel potius vigorem suum augens fortior se ipso, ac valentior, acriorq; esse contendit. Nullus enim tam senex est, & decrepita etatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur.

41. Duabus hisce futilibus excusationibus tertia accedit intentio bona universa sancta & perpetua post mortem foundationi applicandi: nimirum ut misericordiam praestem futuris, dum non ero, benefacere illis negligo, quibus cum vivo. *Heu miser ait Basilii loco mox citato: tunc benignus & liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? cum te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo, scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debetur & gratia, si in sepulchro jacens, & in terram conversus magnificus ac pomposus apparueris.*

parueris. Sed iusto saepe Dei iudicio fit, ut imprecationibus pauperum sic apud eum exigentibus, ex divitibus epulonibus, fiat egentissimi: pauperis enim diviti in amaritudine animæ suæ maledicentis exauditur deprecatio ab eo, qui fecit illum: adeoque frequenter impletur illud *S. Augustini hom. 48. inter 50. cap. 22. Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.*

Concludo hunc & articulum & propositionem verbis *S. Fulgentij serm. de verbis Micheæ cap. 5. & 6. Misericordiam maxime debent sublimes impendere humilibus & dicatos pauperibus prerogare. Hæc autem misericordia duobus impenditur modis, cum nimium peccanti & correctionem pollicenti venia datur, & cum indigenti quod est necessarium non negatur. Ad hujus misericordie pertinet partes, ut superior inferiorem non opprimat sed cum iustitia defendat, & dives pauperi nihil auferat, sed eum pascat & vestiat, & pauperi non insidietur: sed eum potius suis beneficiis consoletur. Quid ergo est, quod se inflat homo fragilis & mortalis: quid superbi terræ & cinis? quid se super pauperem dives superbus extol-*

extollit? quare pauperem despicit? quare pauperem premit? quare pauperi panem aut tenacitate non tribuit aut rapacitate subducit & illi, cui debet de suo multum misericorditer dare modicum quod habet crudeliter conatur auferre? Existimat quia pauperem gravat se ipsum relevet? & nescit quia cum pauperem premit sibi gravissimum pondus imponit? sibi enim bonum impendit, quando pauperi bonum facit. Bonum igitur faciat dives pauperi & proderit sibi. Diligat misericordiam & eam pauperi semper impendat: ut ipse misericordiam in die tribulationis inveniat, quia iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.

ARTICVLVS XII.

Continens laxitates octavi Decalogici Precepti eversivas.

I. **S**uperest unicum, ordine quidem inter alia precepta octavum nobis ob duorum combinationem ultimum: scilicet non loque-

A a 3

loque-